

Sacrilegium, quod circumcissione abusi fuerint (1). 4. Iniustitiam, quia privata auctoritate rem aggressi sunt. 5. Crudelitatem (2).

60. QUÆRES XVI. *An Judith sine peccato potuerit* OMNIBUS ORNAMENTIS SUI ORNARE SE (Judith 10, v. 3) *hunc in finem ut Holofernes CAPIATUR LAQUEO OCULORUM SUORUM in ipsa, prout ipsamet* (Judith 9, v. 13) *de se ait?* R. Ad hanc quaestionem et difficultatem, quam *Chamierus*, aliique novatores ad deprimendam libri *Judith* auctoritatem obmoverunt, non una est interpretum responsio. Aliqui dicunt, etiamsi daretur *Juditham* ex inconsideratione aut invincibili ignorantia quaedam *materialiter* mala dixisse aut fecisse, tamen illam esse laudabilem, eamque a libro divino posse tanquam exemplar virtutis et fortitudinis proponi, quia saltem ut plurimum bona fide egit, et in suis dictis et gestis habuit finem quoad substantiam bonum, scilicet liberationem gentis iudaicae, et defensionem verae religionis. Nam s. Scriptura *Judithae* quidem virtutem commendat, verum nulli peccato obnoxiam fuisse, nulli assertit. Unde *Calmetus* (3) existimat, salva canonica auctoritate libri *Judith* concedi posse, *Juditham* non ab omni peccato scandali, vel alio immunem fuisse, quamvis ipsius ignorantia illud plurimum imminuerit.

Verum hac responsione non omnis difficultas sublata est. Vel enim *Judith* licite potuit se tam specioso vestitu ornare praevidens peccatum *Holofernis* inde secuturum, vel non potuit. Si licite potuit, er-

(1) Ibidem v. 15.

(2) Genes. c. 49, v. 5-8.

(3) Comment. in Judith c. 9, v. 15.

(4) Judith. c. 10, v. 4.

(5) Inter hos sunt *Tourneminius* in appendice ad prolog. *Bonfrerii*, *Alphonsus*

go non est dicenda peccasse, sed potius eam habuisse intentionem, quo absque peccato tam speciosum vestitum induere potuit: praesertim quia Scriptura ipsius virtutem mire extollit. Si autem id licite non potuit, oritur ulterior quaestio, quomodo Deus potuerit *specialem* ei adde-  
*splendorem, et illam pulcritudinem ampliare, ut incomparabili decore omnium oculis appareret* (4)? Igitur omnia prioris responsione, censeo cum aliis (5) distinguendum et dicendum, id *Juditham* non fecisse, ut *Holofernem* pelliceret ad amorem illicitum, sed ad licitum. Directe enim intendebat liberationem patriae, et tanquam medium ad hunc finem obtinendum adhibuit ornatum, quo honeste placeret ad gratiam patriae impetrandam, vel etiam ad matrimonium cum *Holoferne* ineundum, si Deus id vellet; sicut se ornavit *Esther* (6); vel denique, ut sic hostem occidere facilius posset, non intendendo peccatum *Holofernis*, quod iste evitare poterat, et loco impuri castum habere amorem; sed illud permittendo, sicut Deus ipse ampliando *Judithae* pulcritudinem, et specialem addendo splendorem, non intendit peccatum *Holofernis*, sed liberationem populi sui; peccatum autem illud tantummodo permisit. Porro ratio praecipua *Juditham* specioso vestitu sese ornantem ab omni peccato excusandi est effatum s. Scripturae, quae illam ob hoc factum simpliciter laudat his verbis: « Omnibus ornamentis suis ornavit se. Cui etiam Dominus contulit splendorem: quoniam omnis ista compo-

*Nicolai*, la Giuditta. Dissertazioni in Firenze, 1765; dissert. 14, *Hermannus Goldhagen* introduct. in s. Scriptur. part. 2, sect. 2, n. 104.

(6) *Esther*, c. 5, v. 1.

sitio non ex libidine, sed N.B. ex virtute pendebat: et ideo Dominus hanc in illa pulcritudinem ampliavit, ut incomparabili decore omnium oculis appareret (1). »

AT DICES I. *Judith* non potuit ignorare, *Holofernem* ad illicitum amorem pellectum iri, si sic ornata accederet: sed ad hunc illicitum amorem eum tentare non potuit: ergo non potuit sic ornata accedere. R. Neg. maiorem. Quia prudenter potuit iudicare, se ab illo posse honeste amari ac peti in comugem: si tamen praevidebat eius peccatum, illud, ut iam supra dixi, non intendebat, sed duntaxat ex gravissima causa permittebat; *Holofernes* autem ex propria ipse culpa sua illud commisit, quia id vitare poterat.

DICES II. *Judith* (2) se obtulit ad omne, quod erit ante oculos eius bonum: ergo erat parata ad omnia etiam illicita cum *Holoferne* perpetranda. R. Dist. ant. obtulit se ad omne licitum, conc.; illicitum, neg. Hac enim oblatione non obstante, illa nunquam manducavit ex cibis *Holofernis* sibi vetitis (3), etsi iussa. Praeterea, quod bonum, ad quod se barbaro obtulit in ipsius intentione nil aliud, quam honestum fuerit, satis colligimus ex illo eiusdem testimonio sancte asseverantis (4): « Vivit... Dominus, quoniam... non permisit me Dominus ancillam suam coinquinari, sed sine pollutione peccati, revocavit me vobis, gaudentem in victoria sua, in evasione mea, et in liberatione vestra. » Quibus verbis *Juditha* gaudens contestatur, quod libidinosas hostis manus incoinquinata evaserit: verba autem eiusdem in obiectione allata: *Omne quod erit ante oculos eius*

(1) Judith c. 10, v. 4.

(2) Judith c. 12, v. 14.

(3) Ibid. v. 5, et v. 19.

*bonum faciam*, tantum fuerunt urbanitatis verba, quae non semper pressius intelligenda sunt, sed multum continent sensum ac secretam conditionem: *Quantum pudicitia ac religio mihi permittunt.*

61. QUÆRES XVII. *An Judith mentita sit* (Judith 10, v. 13), *dicendo ad exploratores assyriorum se venisse, ut Holoferni indicet secreta iudaeorum, et facilem aditum ad capiendam Bethuliam?* Verba eius erant: *VADAM AD FACIEM PRINCIPIS HOLOFERNIS, UT INDICEM ILLI SECRETA ILLORUM, ET OSTENDAM ILLI, QUO ADITU POSSIT OBTINERE EOS, ITA UT NON CADAT VIR UNUS DE EXERCITU EIUS.* 2. *An si his verbis mentita est, peccarit?* R. Sunt, qui cum *Cornelio a Lap.* tam haec, quam alia (5) *Judithae* verba a mendacio excusant. Sic laudatus auctor ad citata in hac quaestione *Judithae* verba ait, eam revera sibi proposuisse, ire ad *Holofernem*, eique secreta iudaeorum manifestare, nimirum cives obsessos laborare extrema siti et fame, ideoque murmurare contra suos principes, eosque urgere, ut se dedant *Holoferni* etc. Attamen hic finis non erat ultimus, sed mediatus. Hoc enim manifestando *Juditha* cogitabat sibi devincire *Holofernem*, ut sibi devinctum et securum, data occasione, trucidaret. Sic igitur citata *Judithae* verba ad exploratores assyrios a mendacio excusari possent.

Quodsi tamen cum s. *Thoma* (6), et multis aliis daremus, *Juditham* fuisse mentitam, liber tamen *Judith* manet canonicus; sicut talis manet liber Genesis (cap. 18, v. 15), ubi *Sara* mentitur, dicens se non risisse; quia hic liber tantum refert, non approbat mendacium, etsi *Sa-*

(4) Judith c. 15, v. 20.

(5) Judith c. 11, v. 4, 5, 8, 12, 15, et 15. (6) II, 2, q. 110, art. 5 ad 5.

ram tanquam mulierem virtute praeditam laudet; nimirum cum sanctitate essentiali potest consistere levis noxa.

Nihilominus longe verisimilius est, *Iuditham* mentiando ne quidem venialiter peccasse formaliter seu scienter; sed ex ignorantia invincibili putasse, mendacium pro tuenda patria, et conservanda religione esse licitum: imo obsequium se praestare Deo opusque bonum se operari in his circumstantiis mentiando credidit. Neque enim credibile est, quod mulier tam sancta, ieiuniis et orationibus adeo dedita scienter voluerit Deum suum, pro cuius conservanda religione vitam suam manifesto periculo exponebat, mentiando offendere; praesertim cum aliunde sciamus, quod graves philosophi, imo aliqui ss. patres olim iudicaverint mendacium quandoque esse licitum. Sic *Plato* (1) asserit, quod « oporteat aliquando mentiri vel pro patria et civibus, vel contra hostes. » *Clemens Alex.* (2) ait: « Homo, cui necessitas mendacii incumbit, sic eo utatur quemadmodum medicamento. » *Cassianus* (3) inquit, « omnes propemodum patriarchas, sanctosque innumerabiles, alios pro vitae tutamine, alios pro desiderio benedictionis, alios pro misericordia, alios pro zelo Dei... patrocinium assumpsisse mendacii ». *S. Chrysostomus* (4) concludit his verbis: « fraudem non fraudem nominandam, sed potius quandam sapientiam, ac artem, qua possis e mediis rerum desperatarum angustiis evadere. Saepenumero profuit decepsisse. Per artem salutis multorum, in periculis subventum est. » Ergo olim sapientissimi

(1) In 5 de republica.  
(2) Lib. 6 de Stromat.  
(3) Collat. 17, c. 25.  
(4) L. 1 de sacerdot.

et sanctissimi putarunt, fraudem et mendacium quandoque esse licitum. Quamvis igitur defacto post *s. Augustinum* certissimum nobis sit, mendacium pro omni casu peccatum esse: apud veteres tamen, et maxime in veteri Testamento temporibus *Iudithae* non erat hoc ita perspectum. Imo etiamnum aevo *d. Augustini*, ut hic ipse s. doctor (5) fatetur, erat magna quaestio, latebrosa tractatio, disputatio inter doctos alternans, an non aliquando liceat mentiri.

62. **QUAERES XVIII.** *An Iudith non peccarit dum Holofernem vino et libidine ebrium in somno obruncavit* (*Iudith* cap. 13), certo praevidens eius aeternam damnationem? *¶* *Iuditham* per hoc non peccasse. Nam peccatores istiusmodi omnes possunt omni momento iustissime a Deo sempiternis addici suppliciis. Horum enim isti rei sunt: et ille summus omnium iudex et dominus. Porro, cum iustum bellum, divinique legibus consentaneum est, licet hostem, ubi et quando sese offert occasio, necare, tumque quisquis necat, divinae iustitiae minister est; quemadmodum ex disputationibus de bello apud *d. Thomam* (6) et *Bellarminum* (7) perspicuum est. Unde *s. Augustinus* (8) recte ait: *Nequaquam contra hoc praeceptum fecerunt, quo dictum est, NON OCCIDES, qui Deo auctore bella gesserunt, aut personam gerentes publicae potestatis secundum eius leges, hoc est, iustissimae rationis imperium, sceleratos morte punierunt.*

AT INQUIES: Saltem *Iudith* non potuit sine peccato quaerere mortem *Holofernis* somno, et ebrietate

(5) L. de mendacio, c. 1.  
(6) 2 2, q. 40.  
(7) Lib. 5 de laicis, c. 14.  
(8) L. 1 de civit. c. 24.

gravati. Sic enim quaesivit mortem peccatoris in peccato, eiusque certam damnationem. *¶* *Iudith* quaesivit quidem mortem *Holofernis*, sed non petiit, nec quaesivit, ut moreretur in peccato, aeternumque damnaretur. Hoc enim duntaxat permisit, et quidem iusta de causa: quod ita declaro. *Iuditha* recte intendit defensionem patriae veraeque religionis; medium ad hunc finem erat occisio *Holofernis*, utpote qui causa fuisset ruinae patriae veraeque religionis, si *Bethuliam* expugnasset. Hoc medium *Iuditha* adhibuit, non considerato, aut certe non intento *Holofernis* peccato, vel eiusdem damnatione. Sic *David* recte percussit *Goliathum*, etsi hunc infidelem (1) damnandum praeviderit. Nimirum quod hostis vel infidelitate, vel ebrietate, vel alio ullo peccato astrictus moriatur, sicque in aeterna gehennae tormenta miser abeat, hoc ad ipsius, non ad eius, qui, dum illum interfecit, iure suo utitur, culpam pertinet. Quem alioqui turcam aut infidelem in acie ferire, quem impium, impenitentem et praefractum latronem extremo afficere supplicio liceret? Quin vero ex repentinis huiusmodi funeribus intelligi datur, quanto studio ab omni semper scelere abstinendum, quantaque cura providendum sit, ne vino madidos, libidine flagrantem, crimine alio quocunque contaminatos, repentinus quispiam casus occupet. Hoc enim est, quod (2) tam serio monuit Dominus: *Vigilate itaque, quia nescitis diem, neque horam.* At *Holofernes* non vigilavit. In crapula et ebrietate obdormiscens stertuit. Supervenit ultimae horae laqueus, eum-

(1) I. Reg. c. 17, v. 45.  
(2) Matth. c. 25, v. 13.  
(3) Aeneidos 4.  
(4) Commentar. in lib. *Iudith* c. 15.

que constrictum in gehennae chaos praecipitem egit. Cuius culpa?

63. **QUAERES XIX.** *Quo sensu* (*Iudith* 13, v. 15) *de civibus Bethuliae, redeuntem a castris Iuditham cum gaudio excipientibus dicatur: ET CONCURRERUNT AD EAM OMNES A MINIMO USQUE AD MAXIMUM: QUONIAM SPERABANT EAM IAM NON ESSE VENTURAM. Hoccine sperarint miseri obsessi? Timuerint potius. ¶* *Sperabant* hic idem est *actimebant*. Sperare enim pro timere usurpavit *Virgilius* (3) canens: *Hunc ego si potui tantum sperare dolorem.* Item *Herodianus*, *Sophocles*, *Thucydides* aliique, teste *Serario* (4). Eadem catacresis etiam invenitur in aliis Scripturae locis. Sic (5) legimus: *Male iurantes noceri se non sperant*, h. e. non timent, se damno affectum iri. Et apud *Matthaeum* (6) *Christus* ait: *Veniet dominus servi illius in die, qua non sperat*, h. e. qua non putat, non timet adventum domini.

64. **QUAERES XX.** *Quomodo Achior dux ammonitarum* (*Iudith* 14, v. 6) *per circumcisionem populo hebraeo associari potuerit; cum* (*Deut.* 23, v. 3) *lex divina prohibens expresse dicat: AMMONITES ET MOABITES ETIAM POST DECIMAM GENERATIONEM NON INTRABUNT ECCLESIAM DOMINI IN AETERNUM? ¶* Citata lex *Deuteronomii* prohibens, ne ammonites et moabites in ecclesiam admittatur, intelligenda est cum exceptione, nisi nimirum tam praeclara essent viri alicuius ammonitae, vel moabitae merita, ut contra rationem videretur, eum a Dei populo repellere. Hac ratione, inquit *Menocheus*, et *Bonfrerius* (7), scilicet ex speciali dispensatione *Achior* *Iudith*

(5) Sap. c. 14, v. 29.  
(6) Matth. c. 24, v. 50.  
(7) Comment. in *Deut.* c. 23, v. 3.

14, v. 6 *appositus est ad populum Israël*, h. e. a iudaeis fuit admittus in partem honorum, privilegiorum, et nationis suae dignitatum, ut sic illius fidem et officia (1), quae populo Dei praestiterat, remunerarentur. Quamvis enim nequaquam vetitum fuerit ammonitis, moabitibus, uti neque etiam chananaeis, sese ad Deum verum convertere, atque ita in Domini coetum admitti; tamen iudaeis propter citatam legem non licebat, eos in partem vocare honorum et privilegiorum populi iudaici, saltem nisi in casu raro, et ex dispensatione ob singulare meritum aut virtutem, qualis etiam in *Achiore* eluxit. Ita hanc difficultatem solvit etiam *d. Thomas* (2) his verbis respondens: Dicendum, quod « homines nullius gentis exclusit lex a cultu Dei et ab his, quae pertinent ad animae salutem; dicitur enim Exod. 12: *Si quis peregrinorum in vestram voluerit transire coloniam... circumcidetur prius omne masculinum eius, et tunc rite celebrabit, eritque sicut indigena terrae.* Sed in temporibus quantum ad ea, quae pertinebant ad communitatem populi, non statim quilibet admit-

### SECTIO III.

#### DE LIBRO ESTHER

Hic liber regis *Assueri* magnificentiam, *Amanis* contra iudaeos consilium, et ex hoc imminens illis periculum; ab *Esthere* tamen feliciter depulsum, iudaeorum exinde tripudium, et *Mardochoei* exaltationem capitibus sedecim enarrat. Ex his septem ultima capitula *Hieronymus* non ex hebraeo, sed ex graeco textu in latinum transtu-

(1) Vide Iudith c. 5 et 6.

(2) 1, 2, q. 403, art. 3.

tebatur... Sed quidam in tertia generatione, scilicet aegyptii, idumaei: alii vero perpetuo excludebantur in detestationem culpae praeteritae, sicut moabitae, et ammonitae, et amalecitae... poterat tamen dispensatione aliquis in collegium populi admitti propter aliquem virtutis actum, sicut Iudith cap. 14 dicitur, quod *Achior* dux filiorum Ammon *appositus est ad populum Israël, et omnis successio generis eius.* » Ita doctor angelicus.

65. QUÆRES XXI. *Quomodo* (Iudith 16, v. 28) *de Iuditha dici possit: DEFUNCTA EST AC SEPULTA CUM VIRO SUO IN BETHULIA; cum tamen textus graecus* (Iudith 8, v. 3) *affirmet quod Manasses Iudithae maritus sepultus sit cum patribus suis in agro, qui est inter DOTHAIM ET BALAMON?* R. Nomine *Bethuliae* hic intelligitur totus ager adiacens *Bethuliae*; sicut l. 2, et l. 139, et l. 147 ff. de verborum signif., *Romae nati intelliguntur, qui in ea continentibus aedificiis nati sunt, etsi non intra murum etc.* Ita et *Bethuliae* sepulta *Iudith* dicitur, quia in continenti agro sepulta fuit.

lit; cum illa hebraice non reperiret. Caeterum iam saeculo tertio *Origenes* (3) advertit, librum *Esther* non integre hebraice, sed partim hebraice, partim graece extare, scribens ad *Iul. African.* his verbis: « In libro *Esther* neque *Mardochoei*, neque *Esther* preces, quae legentes possint aedificare, habentur apud hebraeos; sed neque epistolae, neque quae ab

(3) Epist. ad *Iul. African.*

*Aman* scripta est de eversione gentis iudaeorum, neque *Mardochoei* ex nomine regis *Artaxerxis* gentem a morte liberans. Apud septuaginta autem et *Theodotionem* ea sunt, etc. » nempe graece. Porro auctor l. *Esther* potissimus iuxta plerisque omnes scriptores et interpretes hebraeos, graecos et latinos fuit *Mardochoeus*, idque liquet ex libri huius cap. ix, v. 20, ubi legimus: *Scriptis itaque Mardochoeus omnia haec, et literis comprehensa misit ad iudaeos, etc.* Dixi auctor potissimus; nam aliquid operae ad conscribendum hunc librum contulisse reginam *Esther*, colligitur ex cap. ix, v. 29, ubi explicate in textu graeco legitur: *καὶ ἔγραψεν Ἐσθὴρ ἡ βασίλισσα... καὶ Μαρδοχαῖος... ὅσα ἐποίησαν etc.* Et scripsit *Esther* regina... et *Mardochoeus*, quanta fecerunt, etc. Potuit praeterea volumen hoc in ordinem redigi et nonnullis additamentis instrui vel a *Ioachimo* summo pontifice, vel ab *Esdra* scriba doctissimo, aut viris magnae synagogae, prout in horum vel illorum tempora haec historia incidit.

66. QUÆRES I. *An liber Esther sit vera historia, vel potius drama quoddam, in quo primarias quasi personas sustinent Esther, Mardochoeus et Aman?* R. Est vera historia. Quamvis enim anabaptistae, et auctor scripti gallici, cuius titulus: *Sentiments de quelques théologiens de Hollande lett. 8 et 11*, cum quibusdam aliis dicant, esse hanc totam narrationem in libro *Esther* contentam tragoediae similem, et adiuncta pleraque sapere fabulas asiaticas, nec praeferre illum candorem naturalem, ac consuetos historiae characteres: facilis tamen est, et solida ad hanc obiectionem responsio. Nam, ut *cl. Weissenbach* (1) re-

(1) Tom. 2 novae formae theol. bibl. lib. 4, q. 15, pag. 470 et 471.

cte ait, si in historia, praesertim *barbara*, velimus singula ad leges verisimilitudinis exigere, praecipui quidam historici tam sacri, quam profani, de quorum sinceritate in hunc diem nemo dubitavit, ad tragoedos omnino et scriptores fabularum ablegandi forent. Plura de tota hac quaestione *Calmetus* praefat. in librum *Esther* disserit.

67. QUÆRES II. *Quis fuerit ille rex medorum vel persarum, qui in libro Esther* (cap. 1 et in aliis pluribus locis) *Assuerus* vocatur? R. Quod non possimus pro certo dicere, quis ille rex sive medus, sive persa fuerit, qui hic nomine *Assueri* venit, parum sollicitos habere nos debet. Quam multa enim apud profanos non minus obscura et implexa, quae in ista temporum distantia hanc ob causam in suspicionem vocare, amentis fuerit; quia tolleret humanam fidem, omnemque historiam labefactaret. Quare sicut mala est haec argumentatio: Sciri certo non potest, quis fuerit ille sponsus, cuius nuptiae *Ioan.* cap. 2 referuntur: ergo evangelium *Ioannis* falsa narrat, nec est liber canonicus. » Ita similiter male concludit haec argumentatio: « Certo sciri non potest, quis fuerit ille *ASSUERUS*, aut quo tempore regnaverit, de quo in libro *Esther* narratur, quod *Estherem* uxorem duxerit: ergo liber *Esther* falsa narrat, nec est canonicus. » Nimirum, licet propter temporis antiquitatem, et auctorum varia placita certo determinari non possit historiae *Estheris* tempus et rex, sub quo ea contigit, non ideo libri huius fides, aut historiae veritas in dubium vocanda est. Ceterum circa intricatissimam hanc quaestionem de *ASSUERO Estheris* marito octo potissimum diversae versantur sententiae, quae magnis se-